



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LV. Quo modo diuina justitia exigat, vt peruicaces, in suis sordibus,
perire permittantur; diuinâ illustratione motioneq[ue] tandem subductâ ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

stendi vlli tentationi. Quia consuetudo est altera natura. Quid igitur mirum est, extirpari eum, de quo nulla est spes emendationis? *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3: 10

CAPVT LV.

Quo modo diuina iustitia exigat, vt peruicaces, in suis sordibus, perire permittantur; diuina illustratione motioneq; tandem subducta?

CEciderunt Angeli per superbiam, & numquam surrexerunt. Itaque in Auernali rogo æternum jacebunt. Quis Deo vel ruinam, vel pœnam imputabit? Potuissent stare, cum alijs stantibus, sed lapsi sunt, quia Lucifero adherere maluerunt. Coguntur igitur iuste supplicia pati, qui liberè iustitiam deseruerunt. Quòd si nemo misericordiã tangitur erga cacodæmones, qui semel tantum ceciderunt; cur iudicium Numinis in iudicium & ad humanum tribunal trahere volumus, si quosdam, & verò etiam plurimos homines sinit cadere, numquam surrecturos? Maior est fragilitas hominis? sed & maior fuit erga eum benignitas Saluatoris; qui pro eo redimendo, & in gratia stabiliendo, homo fieri, & dirissimè voluit cruciari, & in crucem tolli; eiusq; pœnitentiam, tam diu, tam patienter expectare. Quis Princeps non tandem punit repetentem delictum toties condonatum? Et Deus hominem, cui toties ignouit, non tandem permittat in sordibus suis, quas tantopere diligit, computrescere? Ipsa longanimitas vindicis, indignationem auget delictorum. Angelos, commisso peccato, statim præcipitauit, homines plerumque differt; quos etsi subinde in ipso crimine fulminat, sæpe tamen antè sustinuit, vocauit, fortiter commonefecit. Certè, si quoties homines peccant, illico eos diuina ira plecteret, jam dudum Mundum suis incolis exhaurisset. Expectat igitur, vt pœnitentiam agant, & *fugiant à facie* Psal. 59. 6. *argui.* Quis eum arguat, si tandem irascatur, postquam tam longo tempore expectauit? quis culpet, si toties se in omnium scelerum voraginem proijcientes tandem sinat natare & submergi?

Rom. 2. 5.

mergi? Segetes cùm maturæ sunt, metuntur. Sic & homines falce digni sunt, postquam sibi diu iram *in die ira thesaurizauerunt*. Cresceret in immensum licentia peccandi, si perduelles animaduernerent perpetuam scelerum impunitatem. Quid enim tunc non facerent, qui nunc perquam meditatè peccant? Poëtam audi.

Horat. lib. 3.
Od. 24.

*O quisquis volet impias
Cades, aut rabiens tollere cinicam:
Si quaret pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refranare licentiam.*

II.

Quemadmodum igitur diuina iustitia certam quamdam singulis regnis, provincijs, & urbibus constituit mensuram, certo numero, & grauitate peccatorum definitam, qua impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, aliouè modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit annorum & peccatorum.

Matth. 23. 32.

Vnde & Christus dixit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Notum est illud de Israëlitis dictum. *Generatione quarta*

Gen. 15. 16.

reuerterentur huc (in terram Chanaan) nec dum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum, scilicet vt excendantur, tuoque semini locum relinquunt. Constituit eadem diuina iustitia etiam primæuo Mundo mensuram hanc, qua completa, dixit ad Noë:

Gen. 6. 13.

Finis uniuersa carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Clamauerant ad cælum libidines, amor habendi, crudelitas, idololatria, & vindictam postulauerant; quibus sceleribus multiplicatis, multiplicabatur & clamor, isq; fuit tandem diuinæ iustitiæ auribus intolerabilis, nimirum quando peccata eam mensuram attigerant, ultra quam Deus non ampliùs sibi ea tolerare ab æterno statuit;

Gen. 18.

rupit cælum, induxit diluuium; sicut & quando *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis*; tunc enim iterum clamor iste ad sidera penetravit, & ignem, sulphura, piceosq; nimbos deuocauit in nefandos. Quin & vltimum Mundi excidium tum demum veniet, quando implebitur numerus peccatorum, præsertim per superbiam, ambitionem, luxuriam, auaritiam, hæreses, Magias, atheismum, &

Numinis

Numinis religionisque contemptum, & similia flagitia. Quæ porro hæc sit mensura peccatorum vel toti Mundo, vel regno, vel homini cuique constituta, soli Deo notum est, atque ad divinorum iudiciorum abyssum, & altitudinem illam diuitiarum est referendum. Itaque qui in primo peccato hominem deserere meritò potuisset, quomodo iniustus erit, si eum deserat in millesimo? & sinat non solùm tentari, sed etiam quassari, & perire, tam pertinaciter perire cupientem?

Fateor, nulla diuina vindicta vulgò minoris fit, quàm quæ in punitione spiritali consistit, cùm sensibus non percipiatur; nulla tamen vel seuerior est, vel iustior, quare longè magis formidanda est, quàm aut Gomorrhæ incendium, aut orbis diluuium. Si enim bona spiritalia multis modis antecellunt ijs bonis, quæ sensibus blandiuntur; erunt profectò etiam honorum spiritalium, quàm temporalium damna magis metuenda. Quæ grauior in hac vita potest æstimari poena, quàm quæ est æterna proxima, eamque & certò secum trahit, & necessariò antecedit? Hanc ergo poenam esse iustam, agnoscemus libenter, si paulò enucleatiùs perpendamus. Consistit enim in gratiæ iustificantis, & totius boni, quod hanc gratiã consequitur, itèmq; in auxiliij interni & externi subtractione; nec non in excacatione & induratione. Talis homo tentatur, & superatur; delinquit, & non resurgit. An non autem dignus est gratiam perdere, qui Deum odit? An non meretur donis supernaturalibus exui & spoliari, qui ijs nugas Mundi, & res vanissimas anteponeat? Quòd si quis igitur gratiam in se destruxit iustificantem, qua Dei amicus fuerat, & in peccatum consensit, quo in infinitum quoddam Dei odium incurrit, an non is meritò à Deo deseritur? hostine, an amico succurrimus? Quandoque, quæ Dei clementia, ille non statim deserit, sed ouem perditam querit. Sensim tamen toties ingrato auxilia interna ad salutem opportuna imminuit; ac tandem vbi impleta est malitia peccatoris, vltimumque gradum attingit, omninò subducit. Quemadmodum enim homini iusto, & amico, tamquam filio, curam opemque debet Deus, vt ad promissam in cælo perueniat hæreditatem; ita nihil debet illi, qui sponte, & per malitiam suam jus perdidit ad

III.

Gggg

illam

illam hæreditatem. Illi ergo qui se reum fecit inferni, non solum nihil nisi pœnam debet, sed etiam incipit consuetam curam, consueta auxilia, quæ antè ei impendebat, subducere. Sicut igitur paralyticus se erigere, sine subleuante, non potest, ita neque sine diuino auxilio interno potest surgere peccator; sed in sordibus suis jacet, atq; in iisdem se se identidem volutat. Habet, quod elegit; caret gratiâ, quam toties repudiauit. Quis cani manum iterum porrigat, in aqua periclitanti, quam sensit toties morsu sauciatam? Et tamen Deus peccatori manum toties porrectam non statim negat: quid mirum, si tandem neget? Mordent DEVM, & conuicijs prosciunt impij, cum ab eo ad pœnitentiam excitantur. Nimirum, quia *conuersi sunt in arcum prauum. In iram concitauerunt eum.* Quis arcum prauum non abijciat, qui tela retorsum torquet in jaculantem? Surdo loqui, est oleum & operam perdere.

Psal. 77. 57.

Horat. lib. 1.
epist. ad
Meczn.

*Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
Si modò cultura patientem accommodet aurem.*

At ubi quis aspidi similis est, obturanti aures suas, ibi frustra sunt omnes incantationes.

IV.

Lacertulam aiunt hominis amantem, consuesse, cum serpens dormienti imminet, auriculam eius mordere, non ut venenet, sed ut soporem illi excutiat, doceatque vitare malum, quod virulentus anguis machinatur. Piger, & lacertæ amorem non agnoscens, molestè fert, suam quietem turbari. Quare sæpe, neglecto serpente, lacertulam persequitur, & occidit. Idem contingit mortalibus, peccandi consuetudine excæcatis. Excitat eos diuina gratia, ut serpentis antiqui astutiam declinent. Sed illi, in periculo suo dormire assueti, molestè ferunt, se excitari. Indignantur, si eos officij sui quis admoneat; ocludunt aures, ostendunt dentes, denique omnia cælestia execrantur. Quid faciat Deus? an semper patiatur se contemni, ut iam non putetur amplius esse Deus, qui scelerum iudex & vindex existat? Clamat eius iustitia, clamant Angeli de celo, clamant ex inferno cacodæmones, clamant in terris, qui injuriam sustinent: *Exurgat DEVS, & dissipentur inimici eius.* Quid mirum, si audiat has voces? si in inimicos suos exardescat? Neque opus est diu de-

Psal. 67. 3.

armis

armis circumspicere. Quos deserit, punit. Dum manum suam subducit, extendit; & satis graviter percutit, dum non succurrit. Cùm enim mens humana, ad res divinas, noctuæ instar, caliget; neque eas ita intelligere possit, ut voluntas inflammetur, atque in affectum efferuescat; divina luce collustrandus est animus, ne obscure confuseque, sed perspicuè & congruè apprehendat ea, quæ pertinent ad salutem; itemque ne bene apprehensa cognitaque, naturæ vitio, ad sensus & vanitatem tracta, citò obliteret. Igitur, ne animus radio affectus rerum supernaturalium ad terrena relabatur, præter inspirationem & illuminationem, exigit opem divinam, qua phantasia juvetur, eleuetur, & applicetur, ad ea, quæ illustratione cognovit, ita assiduè imaginanda, ut affectus sequatur. Hoc pacto facilè est despiciere fluxa, & æterna bona appetere; sicut difficile, immò impossibile, sine hoc auxilio, non ferri in divitias, voluptates illicitas, & ambitiones: si enim hæc talia assiduâ cogitatione æstimentur, neque aqua aliunde infundatur, non potest non incendi humana cupiditas. Sufficit ergo divinæ justitiæ, lumen toties impij malitia extinctum non ampliùs reaccendere. Postquàm monuit, postquam manum extendit, postquam gratiam toties obtulit sufficientem, cur non tandem volentes sinat in tenebris ambulare, offendere, cadere? Solem in ipso meridie obscuravit, *Luc. 23. 45.* & quodammodo extinxit, cùm Christus occideretur: occiditur autem Christus, quoties gratia, quam ille sanguine suo promeruit, pedibus conculcatur; an non igitur meritò divinum lumen extinguat, &, velut Ægyptijs, palpabiles tenebras inducat? *Exod. 10. 21.*

Cæcum ducebat baculo puer, & sequi nolentem, quàm eundem erat, etiam trahebat; cùm cæcus ira percitus, eo ipso baculo ducem suum abigebat, idque sæpiùs fecerat. Abactus toties puer redire noluit. Cecidit ergo in præterfluentem duce destitutus, puero clarissimis cachinnis applaudente. Qui spectaculo aderant, omnes dixere, cæcum ruinâ suâ dignum esse: si enim non voluisset labi, ducem à se repellere non debuisset. Quæ homines salutis causa debent operari, exequi non possunt sine divina directione; cùm executio à plurimis non rarò rebus pen-

Gggg 2 deat,

V.

- deat, quæ non sunt in hominis potestate. Dirigere itaque, & ve-
- Ierem. 10. 24. lut cæcos nos ducere debet DEVS, ad quem Ieremias ait: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos.* Item Salomon: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Ducit igitur homines diuina bonitas, per consilia idonea, quæ suggerit, per impedimentorum remotionem, per occasiones ad exequendum oblata. Plurimi sunt, qui consilia DEI spernunt; impedimenta mordicus tenent, occasiones omnes abijciunt. An non enim de consilijs
- Prou. 1. 25. clarè ait: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis?* Impedimenta salutis remoueri (sicut caraplasma cicatrici agglutinatum detrahi saucius) non est passus ille ad-
- Matth. 19. 21. flescens, cui Dominus dicebat: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in calo: & veni, sequere me.* Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. Voluit DEVS impedimenta remouere perfectionis; noluit adolescens. Cui culpa fuit imputanda? Si non vult abstinere vino podagricus, cur medicum accusat, si ægrotat? Impedimenta autem non solum perfectionis, sed etiam salutis esse opes, perspicuè Christus pronuntiauit illis verbis:
- Matth. 19. 23. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum calorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum calorum.* Vides impedimentum? & quidem impedimentum grandissimum? Nonnè amens fuit, qui, remouere id volente Christo, illud noluit remoueri? Non fuit autem tantum adolescens ille talis, sed homines quoque innumeri sunt, qui hæc ipsa remoueri à se impedimenta nolunt. Quin innumeri sunt, qui noctes & dies aliud nihil agunt, nisi vt hæc impedimenta adipiscantur. Cui ergo culpa tribuenda est, si pereant? Dzo eos monente, cohortante, instigante, vt diuitias contemnant, manibus pedibusque reluctantur. Pereant ergo in periculis, quæ amant. Quid si etiam, sicut cæcus ille puero baculum impegit, quod recto tramite duceret, ita & homines plerique diuinæ bonitati indignantur, si eos incipiat ducere per paupertatem, per tribulationes, quæ est vera calivia? an non tunc impatientes fiunt? an non se à Deo relictos queruntur?

runtur? & non rarò etiam blasphemant? Hoc nempe est ducem suo baculo percutere. I, suade Euclioni eleemosynas, homini pecunià in superbiam abutenti, vt omnia deferat, & nudus nudum IESVM sequatur, an non te cachinnis excipiet? Idem illi tales Deo faciunt quotidie. An non irascatur? an non tandem dicat? *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omnes consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque, in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquirerint consilio meo, & detraxerint vniuersè correptioni meæ. Comedent igitur fructus via sua, suisq; consilijs saturabuntur.* Prou. 1. 24.

Tot laqueis mundus est plenus, tot periculis oblitus, tot sagittis volancibus refertus, vt, nisi hominem Deus *scuto bonæ voluntatis* assiduè protegat, actum sit de eo. Nam vt de discrimine vitæ, de tot insidijs mortis taceam, quid non efficeret Orcus, si non diuina cohiberetur potestate? quot occasiones quotidie feruntur? jam Mundus adulars, jam corpus lasciuens, jam mille Sirenes, mille Charybdes insidiantur: quoties caperemur, si diuina protectio vel illa non impediret, vel sua ope nos non corroboraret? Sicut enim contra miluum gallina, cristata mater, pullos protegit; ita & Deus hominibus facit. Vnde Psalter ait: *sub umbra alarum tuarum protege me.* Sed nolunt plurimi mortales protegi; quod Christus illis obiecit, cum diceret ad Ierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Quæ pœna sequitur? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quid enim? an non cesset tandem gallina protegere pullos, accipitri obuiam, ex alarum securitate, procurentes? Et quidem pulli tam stolidi non sunt, vt deserant protegentem; homines autem vsque adeò sunt vecordes, vt Deum protegere volentem etiam contempnant. Si oues in pastorem insilirent, si vectores nauclerum vellent de puppi præcipitare; quid vel opilioni, vel nauarcho esset faciendum? Matth. 23. 37.

endum? Itaque cum peccator scelera in dies magis magisque multiplicet, & Deum protegentem à se reijciat, quid mirum est, si ille interna auxilia paulatim subtrahit? si aucto tot malorum facinorum cumulo, augetur & diuina ira, curaque illa pristina minuitur, vt non amplius adeò defendat, à quo adeò fuit repudiatus? Igitur sensim humani generis hosti in eiusmodi hostem suum fræna laxat; neque ita, vt priùs, ab eo pericula occasionisque peccandi abarceat; neque ita sinit præsentem haberi memoriam imaginationemque quatuor nouissimorum; denique auxilium, quod singula bona opera antecedere, comitari, & subsequi debet, toties frustra obrusum, tandem contrahit. Hac diuina causa peccator semper maiores maioresque sentit in tentationibus vincendis difficultates; & minuto auxilio diuino, auctisque modis & occasionibus peccandi, de peccato in peccatum labitur, velut qui in præcipiti est, de scopulo in scopulum. Præceptor in scholis, cum videt se in stupido discipulo oleum & operam perdere, transfert laborem suum in alium, apud quem spes maior est bonæ frugis. Ita diuina illa mens rariùs extimulat, neque tam frequenter caelesti lumine perfundit, quos toties frustra excitauit; & sine profectu collustrauit. Hinc in homine instinctus languent, bonæ inspirationes vaneſcunt, & piæ affectiones intermoriuntur. E diuerso subeunt zizania, spirituque suffocato, caro viuit, animusque totus in sensum impenditur, & illecebris addictus, vitat, quidquid non delectat. Igitur talis *infixus in limo profundi*, sine magna & peculiari miseratione Dei, non potest emergere, sed semper magis magisque mergitur, quod eum voluptas & voluntas trahit. Qui autem sic perire cupit, nec cogitat se se extricare, quo modo queat illum diuina bonitas dirigere, in boni propositi executione? siquidem frustra disponit Deus eum, qui contrarium deliberata malitia ponit. Quis vult spinas osculari, quæ vulnerant osculantem? Et Deum quis obligabit, vt amplectatur hominem toties rebellem, qui ei spinas in caput impressit, clauos in manus pedesque adegit, lanceam in pectus infixit; neque id semel dumtaxat; sed iterum, iterumque, vel hodie quoque facturûs, si eum velit tentetque ad sanitatem reducere? Enimuerò adest diuina iustitia, adsunt Angeli, ad-

sunt

Psal. 68. 3.

sunt omnes Diui cælitæ, adest ipse homo iustus in terris & clamat: *Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum, qua ab insipiente sunt, tota die. Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Quid mirum, si tua vindicta descendat semel? Psal. 73. 21.

Quid igitur facit Deus? **VII.** 1. Subducit Sanctorum intercessionem, qui iam non tam precantur pro tali, quàm vt vindictam expetant, cum aiunt: *Exurge DEVS, iudica causam tuam:* quin & prohibet orari pro talibus inquit: *Tu noli orare pro populo hoc.* Ierem. 7. 16. 2. Subducit monitores, dicentes: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, quoniam peruenit usque ad celos iudicium eius.* Ierem. 51. 9. 3. Subducit illis voluntatem audiendi conciones, vnde prædicatione, verbo diuino, doctrina pietatis, & fidei, ac religionis destituti, cæcorum more, impingunt vbique. 4. Sacramentorum eos vsu priuat, fructuque sacrificij missæ; quo ira diuina placatur. Cum autem vis Sacramentorum, gratiam in homine vel pariat, vel perficiat & conseruet; miserimi efficiuntur, qui id merentur suis flagitijs, vt nauseent vsum Sacramentorum. Et dignissimi sunt, qui vel in extremo vitæ suæ agone, pœnitentiæ, SS. Eucharistiæ, & extremæ vnctionis Sacramento priuentur, qui toties ijs salutaribus remedijs abusi, per Sacramenta ipsùm Deum blasphemauerunt. 5. Denique desinit flagellare, quos non vult emendare; tamquam è cura sua exclusos & desperatos. Quin, vt medici omnia illis concedunt, de quorum salute desperant, ita Deus permittit omnia optata euenire ijs, qui nihil optant, nisi Mundi vitæque huius prosperitatem. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; idè tenuit eos superbia; operi sunt iniquitate, & impietate sua.* Psal. 71. 5. Sic auxilijs internis externisque, quæ rejecerunt, iuste spoliantur. Sic diuinum lumen amittunt; sic de rebus, quæ ad salutem spectant, peruersè iudicant, seque ipsos fallunt, excæcati, indurati. Quæ excæcatio induratioque non Deo (enimverò nec ipsi diabolo magis, quàm homini) est tribuenda. Homo enim est suæ cæcitatæ causa, dum peccando meretur, vt diuinæ gratiæ lumine destituatur, & Stygijs illusionibus permittatur. Neque hoc tantum modo, verum etiam, dum in affectio-

affectiones iræ, odij, cupiditatis totum se tradit, quibus necesse est, hominem excæcari: itemque dum, præ superbia, non finit se erudiri, neque admittit rationes sinceras, lucem veritatis perofus, amansque tenebrarum, hoc est, judiciorum Mundi, perversè dicentis, voluptatem, & vtilitatem virtuti anteponendas. *Virtus post aurum.* Item: *Et Venus & venter Deus optimus.* Nam sunt tales multi, quibus meritò dicas: *Va, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Vespertilioes natura noctu & in tenebris producit, interdiu latitare finit, quia lucem ferre non possunt. An non author quoque naturæ eos homines finat, in sua cæcitate, errare, qui diuinum lumen toties extinguunt? *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Non vult Deus coactam, sed liberam dilectionem. Habeant ergo illi tenebras, qui eas magis quam lucem dilexerunt. Iustum est iudicium Numinis, vt lumen illis subducat hominibus, quod toties repudiauerunt, atque in se se extinxerunt. Volebat, & solebat antè rerum saluti necessariarum cognitionem in animos eorum, velut facem quamdam inferre, at illi clausuerunt oculos, obturauerunt aures, aditus omnes, omnes januas & rimas obferauerunt: an non digni sunt, vt lumen illis, non dicam, participius, sed numquam ampliùs offeratur? Neque digni tantum sunt hac diuini luminis priuatione, sed etiam inepti redduntur ad illud recipiendum. Animus enim peccatis plenus, rotus sit obscurus, terreus, ac tandem, miserabili metamorphosi penitus in saxum induratur. Saxum autem lucem, non nisi superficie tenus, recipit, in profundo opacum. Pari pacto indurati, audiunt verbum Dei, sed ad cor non admittunt. Quin adeò duri sunt, adeò tenebricosi, vt omnia in contrarium iudicent. Cuius rei ab Hæreticis exemplum ad alios quoque mores potest accommodari. Siquidem, vt hæreticis clarissimi errores apertissimæ videntur esse demonstrationes; & manifestæ Catholicorum demonstrationes, meræ fallaciæ esse putantur; sic peccatoribus etiam ceteris, cum in profundum venerunt, nihil videtur esse bonum, quam quod est reuera malum; nihil sapit, nisi vanum: diuina, cælestia, sancta omnia nauscantur. Itaque non solum indigni


Isa. 5. 20.

Ioan. 3. 19.

indigni sunt diuini luminis gratia, sed etiam ad illud suscipiendum se inidoneos reddunt. Quis ergo diuinæ bonitati calumniam inferat, si tales sunt non modo tentari, sed etiam superari? ut tentarentur, metuerunt; digni fuerunt, ut superarentur. Patientur suas ipsi tenebras, neque cælesti igne molliantur, qui in intellectu lumini cæcitatem, in voluntate & affectu, motui diuino duritiem & obstinationem prætulerunt. Parcitis sagittis jaculator, cum eas videt in saxum incidisse, vnde reuertitur, eosque libentius dirigit, ubi sentit locum esse penetrandi.

CAPVT LVI.

Hominis esse vitium, si cadat; meritum, si vincat. Quod in pluribus exemplis demonstratur.

 Vitoricas, galeasque, aut clypeos fabricant, plumbeorum glandium jaculatione ea probant, eorumque experiuntur firmitatem. Arma, quæ globum sustinent, probata; quæ admittunt, inidonea censentur & mala. Quo experimento arma non fiunt, sed ostenduntur dumtaxat esse mala; nam si bona probaque fuissent, ictum innoxia sustinissent. Ad eundem modum tentatio, plerumque hominem non efficit improbum, sed qualis sit, manifestat. Malè compacta nauis etiam leui tempestate soluitur; rupes decumanis quoque fluctibus, sine damno, quatuntur. Illud discrimen Seruator indicauit exemplo sapientis, domum suam supra petram adificantis; & stulti adificantis super arenam. Iisdem pluuijs, iisdem fluminibus, iisdem ventis vtraque concutiebat: domus sapientis stetit, stulti collapsa est. Quis in causa fuit, ut collaberetur? an venti? an flumina? an pluuiæ? nequaquam. Alioquin enim etiam domus sapientis corruisset. Causa igitur fuit, arena, in qua domum suam stultus adificator malè fundauit: non cecidisset, si fundamentum firmum posuisset. Ex quo, ut Cassianus colligit, satis apparet, domum, aut conscientiam stulti non corruisse, propterea quòd à tentationibus essent concussæ, quas pluuiæ, flumina, & venti significant: cum sapientis domus eisdem concussa non corruerit. Causa igitur fuit, quòd fundamenta illius domus

I.

Math. 7. 24.

Cassian. Collat. 18. c. 13.

H h h

non